

gnatis. Adhuc S. AUG. L. 6. contr. Julian. c. 3. n. 6., ubi eatenus parvulos tantum ex eorum sententia dicit fideles, quatenus per alios credunt. *Velitis, nolitis*, inquit, *parvulos credere confitemini in Christum per corda et ora gestantium.*

ARTICULUS II.

QUINAM PRIMI FUERINT SEMIPELAGIANI EORUMQUE DEBELLATORES ET ERRORES?

188. *Nota.* Semipelagiani eo nomine appellati, quod multa Pelagianorum dogmata ejurantes aliqua tamen retinuerint, dimidiato quasi errore ea secuti, in quibus, teste PROSPERO, non mediocris pestilentiae fibra nutritur. Dicti etiam sunt *Reliquiae Pelagianorum*, quod ex eorum cineribus excitati partem aliquam erroris iam prostrati superstitem facerent: dicti item *Massilienses* ab urbe Massiliensi in Gallia, in qua Semipelagiani existebant, de quorum erroribus S. PROSPER et HILARIUS ad S. AUGUSTINUM retulerunt.

189. *Dico I.* Inter Semipelagianorum principes numerantur 1º. *Joannes Cassianus*, natione Gallus, vitam monasticam primum in Palæstinæ et Ægypti cœnobii professus, dein Diaconus a S. JOANNE CHRYSOST. ordinatus, post ejus obitum Massiliensis Presbyter factus, in extructo Massiliae cœnobio subsistens. *Collatoris* nomen nactus est, ob scriptos de Institutis Monachorum Ægypti commentarios et Patrum Collationes, in quarum decima tertia præsertim Semipelagianos errores diserte docuit.

2º. *Faustus* natione Britannus, primum cœnobii Lirinensis Abbas, post Rejensis in Gallia Episcopus, errorum a Joanne Cassiano haustorum propugnator acerrimus, post an. 473. Libros 2. de gratia et libero arbitrio edidit, in quibus Massiliensium dogmata et columnias contra S. AUGUSTINUM, ejusque præsertim librum de prædestinatione, instauravit.

3º. *Vincentius*, de quo inter eruditos est controversia, secundum Norisium et Nat. Alexandrum est ille, qui Tulli natus, cœnobii Lirinensis in Provincia Monachus et Abbas, scripsit Commonitorum duplex adversus Hæreticos, et hinc ab iisdem Vincentianarum, numero sexdecim, objectionum auctor habetur, atque in ipso Commonitorio tecte et per cuniculos S. AUGUSTINUM ac ejus discipulos impugnasse perhibetur, ante annum 450. mortuus. His secundum communiorem addendum venit.

4º. *Gennadius* Massiliensis Presbyter, cuius animus factioni Semipelagianæ addictus ex libro colligitur, quem de Viris illustribus anno circiter 490. conscripsit.

Præter hos in Semipelagiano errore se aliquando versatum fatetur S. AUG. L. de prædest. Sanct. c. 3., et hinc quasdam propositiones Expositionum in epist. ad Roman. ante Episcopatum scriptarum in LL. Retract. emendat. In eundem errorem prolapsi fuerant *Vitalis* quidam Carthaginensis et nonnulli *Monachi Adrumetini*, quorum tamen primum revocavit S. AUG., ut ex ejus epist. 107. (al. 217.), liquet: postremos autem idem etiam statim corripuit. *Severum Sulpitium* Semipelagianum putavit Baronius; sed edidit pro eo apologiam Guibertus Abbas Gemblacensis, et ex Chronologia eum vindicavit Labbeus: *S. Honoratum* Massiliens. Ep. in similem suspicionem deduxit Norisius, sed ab eadem liberavit eum Nat. Alexander: Jansenius denique S. Joannem

Chrysost., S. Hieronymum aliasque nonnullos Patres, maxime Graecos eadem fuligine aspersit, quam injuriam deterserunt plures tum Scholastici, tum Historici.

190. *Dico II.* Præter S. AUGUSTINUM, qui delatum ad se Semipelagianum Libris de prædestin. Sanctorum et de dōno perseverantie impugnavit, contra Gallos Lugdunensis et Arelatensis Provinciæ in novam sectam circa an. 428. coeuntes, tum Patres, tum Pontifices, tum Concilia decertarunt, et hæresin tandem contriverunt.

Inter PATRES referuntur S. PROSPER AQUITANUS, et HILARIUS, qui cum priore Semipelagianos ad S. AUGUSTINUM detulit; S. FULGENTIUS Ruspens. Ep., S. CÆSARIUS Arelatensis, JOANNES MAXENTIUS et PETRUS DIACONUS; quorum tamen primus ut tempore, sic et ardore et victoria fuit S. PROSPER. Nam eam in rem jam an. 429. scripsit epistolam ad Ruffinum: an. 432. exagitavit Joan. Cassianum libro contra Collatorem scripto: an. 434. respondit ad Capitulo 15. Gallorum calumniantium: edidit Responsiones ad excerpta Genuesium, in quibus difficultates quasdam in S. AUGUSTINI libris inventas Camillus et Theodorus Genueses Presbyteri proposuerant: adjecit etiam Responsiones ad Capitulo objectionum Vincentianarum. Sub haec tempora ex simili occasione scripsit Epigrammata plurima et celeberrimum Carmen de ingratis.

Inter PONTIFICES locum præcipuum habet COELESTINUS I., qui an. 432. data ad Gallicanos Episcopos epistola S. AUGUSTINI doctrinam contra Semipelagianorum columnias vindicavit; quod idem præstitit GELASIUS I. in epist. ad Picenos an. 494. CONCILIUM, ante Synodum Valentianam imperante Lothario an. 840. celebratam, et præter Valentinam a Cæsario Arelatensi an. 529. indictam, celeberrimum in hac materia est ARAUSICANUM II. eod. an. 529. a 14. Episcopis habitum, quod 24. Canonibus ex AUGUSTINI scriptis ad verbum expressis, et a FELICE Rom. Pontifice ad Concilium transmissis, errores Semipelagianorum damnavit, altero mox anno 530. a BONIFACIO II. P. M. data ad Cæsarium Arelat. epistola confirmatum; atque sic alis per orbem Episcopis silentibus facta est decisio, quam non sequi nemini permisum erat, ut ipsemet Quesnellus in Libro, cui titulus: *Traditio Ecclesiæ Romanae*, loquitur.

Ab hoc tempore Semipelagiani haberi hæretici coeperunt, cum antea Catholicæ nominis honore non exciderint, ut ex S. AUGUSTINI et PROSPERI operibus constat, qui illos etiamnum *Frates et dilectores suos, Catholicos, Corporales suos et participes gratiae Christi*, imo *Sanctos* compellabant. Hinc liquet, cur non obstantibus erroribus suis, se scilicet viventibus necdum ab Ecclesia damnatis, JOANNES CASSIANUS a S. GREG. M. L. 6. ep. 12. dicatur Sanctus, ejusque memoria Massiliæ colatur die 23. Junii: cur FAUSTI nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ Fastis sit adscriptum: cur auctoritas Commonitorii a VINCENTIO LIRINENSI scripti, ejusque tradita ibidem de Traditionibus et Patrum usu doctrina, non debeat rejici ab Heterodoxis; præsertim cum in his fidei regulis hic scriptor nec a S. AUGUSTINO, nec ab aliis Patribus, nec ab Ecclesiæ doctrina dissentiat.

191. *Dico III.* Semipelagiani de peccato originali et necessitate gratiæ Christi ad illius remissionem ac justitiam et salutem recte senserunt: Capitallis autem illorum error fuit, *initium* aliquod fidei, justitiae ac salutis esse

à nobis. Quippe in *fidei* Semipelagiani distinguebant tria: initium, augmentum et perseverantiam. *Initium fidei* dicebant complecti 1º. fidem, per quam aliqui intelligunt actum fidei inchoate et pium credulitatis affectum, alii fidem et actum perfectum; haec, quia vel sola externa prædicatione Evangelii excitari poterat, a Semipelagianis non reponebatur in numero bonorum operum: 2º. desiderium salutis inde ortum: 3º. orationem ac implorationem opis et benignitatis divinæ.

Heec omnia ex *solis viribus naturæ* haberi statuerunt, ad id explicandum, tñste HILARIO in sua ad S. AUG. epistola (inter August. 226.), hac usi *similitudine*: Egrotus, inquietus, non advocaret medicum, nisi præcederet bona de eo existimatio, h. e. humana credulitas, qua credit eum posse et velle sanare: et tamen neque bona haec de peritia et benignitate medici existimatio, nec vocatio illius, nec sanitatis per ipsum consequendæ desiderium, partem in opere curationis ullam habent, utpote quæ adscribenda est potius medici industria et medicamentorum virtuti. Per *augmentum fidei* intelligebant ipsum opus bonum, quo putabant fidem augeri, atque hinc illud nonnunquam fidei incrementum vocabant. *Perseverantia fidei* autem complectebatur tam fidem, quam ipsa etiam opera bona diu, constanter, vel ad finem saltem perducta. De *initio boni operis* autem aliter ac de fidei initio loquebantur.

Discrimen enim ponebant inter bonorum operum initium et inter eorum voluntatem, desiderium et conatum; quia initium boni operis est operis boni actus et exercitium quantumvis tenue ac imperfectum, sicut initium fidei est fidei actus imperfectus: sed velle, desiderare et adnoti ad opus bonum non est bonum opus; sicut nec velle, desiderare et adnoti ad sanitatem est sanitas.

Hinc in Semipelagianorum sententia hic ordo actuum occurrebat: 1º. actus erat *actus fidei*, quo in Christo creditur, quem sola præcedebat Evangelii annuntiatio; quia vero non tantum ministerio Evangelicæ prædicationis poterat excitari in homine affectus ad bonum, sed etiam per exhortationes et comminationes humanas, hinc nonnunquam in scriptis Semipelagianorum hujus actus præambuli mentio dissimulatur: 2º. erat *simplex voluntas* vel complacentia in sanitate acquirenda, naturaliter omnino ad fidem sequens, qua homo infirmitatem suam virtute Christi sanari posse credebat: 3º. erat *desiderium* sanitatis, quod ex illis præcedentibus naturaliter emicabat: 4º. erat *iners* quidam surgendi *conatus* ex desiderio sanitatis similiter exortus. Hunc vero cum vires fractæ et debilitatæ non sequerentur, accedebat 5º. quo voluntas exclamabat, petebat, quærebat, pulsabat, et dexteram sibi porrigi postulabat.

Denique his naturalibus actibus prægressis, gratia jam ad incipiendum et perficiendum virtutis opus necessaria tanquam *merces* retribuebatur a Deo, quam ulro et gratis dari incredulis et otiosis Semipelagiani inficiabantur. Patent hæc ex S. AUG., S. PROSP., HILAR., etc. infr. referendis.

192. *Dico IV. Fundamentum* hujus erroris erat idem, quod principale Pelagianorum; unde PROSPER in sua ep. ad S. AUG. observavit, quod *egregiis viris* (Massiliensibus) *spiritus Peligianæ impietatis illudat*. Putabant nempe penitus sublatam fore *libertatem humanam*, nisi a peccato Adami superesse

id naturali arbitrio diceretur, ut medicum saltem, in quo crederet, posset accersere, et ad salutem ipsius ope dein procurandam ægrotæ voluntate suspirare; hoc enim sublato nec in nostra libertate quidquam reliquum esse, ut salvare possimus, et Deum personarum, non voluntatum acceptorem fore causabantur, si quos vellet, immerentes vocaret ad fidem. Patet hoc ex CASSIANI Collat. 13. c. 12.

193. *Dico V. Ex hoc errore et fundamento plures errores* alii Semipelagianorum pullulabant.

1º. Erat circa *perseverantiam* Sanctorum in bono. Hanc voluntate efficacibusdam a Deo donari, aliis non donari, admittere recusabant: sed sicut Adamo datum fuit adjutorium, quo poterat perseverare, si vellet, ipsaque perseverantia fuit arbitrio ipsius relicta; ita et nunc nobiscum agi putabant, ut omnibus hominibus, qui fidem *naturæ conatu* amplecti et Dei medentis auxilium implorare vellent, huic merito gratia retribueretur, qua persevere posse, ipsa interim perseverantia ipsorum arbitrio relicta. Proponit hoc HILAR. in ep. ad S. AUG. n. 6.

2º. Erat, Deum paratum esse *indifferenter* sua omnibus dona communicare, sed expectare solummodo *conatum naturæ*, nec ante, quam vocatum accurrere, atque hinc creaturam vi naturali promereri et arripere gratiam. Sic PROSP. testatur in ep. ad S. AUGUST. n. 6. Unde patet, hæresin Semipelagianorum non stetisse in eo, quod admitterent dogma Catholicum de *gratia sufficiente* omnibus parata; sed quod hanc ex merito naturali, et quidem non sine illo dari assererent.

3º. Erat, Deum *æque velle* omnes homines salvos fieri, si ipsi conatu naturali velint. Hunc sensum PROSP. ibid. immediate ante designaverat. Hic vero orthodoxa quidem est propositio illa: *Deus vult omnes salvos fieri, si ipsi velint*, modo haec salutis voluntas in Dei gratiam prævenientem refundatur, nec libero arbitrio *solis naturæ viribus* querenti tribuatur. Similiter Deum velle omnes homines salvos fieri *generali voluntate*, et quidem proprietaли, bona, beneplacenti, et, quantum ex parte ipsius est, perfecta et sincera, Catholicum est: sed Deum singulari voluntate, consilio et proposito nolle *predestinorum salutem* magis efficaciter quam aliis, id Semipelagianum; quod PROSP. refellit in Carm. de ingratis c. 13. (L. 2. vers. 309. et seqq.)

4º. Erat, simili ratione *Christum* pro omnibus hominibus esse *mortuum*, et a redemptione sanguinis atque a beneficio ejusdem neminem esse exceptum, sed omnes *æque esse* participes. Sensum hunc iterum exposuit S. PROSP. in ep. cit. n. 6. Ubi non est *Semipelagianum* dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse; asserentem enim id propositionem Jansenii damnarunt Pontifices: sed hæresis erat in hoc, quod dicerent Semipelagiani Christum esse mortuum, ut iis succurreret et gratiam vitamque æternam largiretur, qui haec naturali desiderio et fidei naturalis merito impetrarent.

5º. Erat circa *prædestinationem*. Nullam enim electorum vocationem secundum propositum et prædestinationem gratuitam admittebant Semipelagiani; sed 1º. principium *discretionis* fidelis ab infidei non a gratia Dei, sed a fidei naturalis merito petendum putabant. 2º. Cum interrogarentur cur his potius nationibus prædicaretur *Evangelium*, vel his potius hominibus

daretur prædestinatio, quam aliis nationibus vel hominibus, cum apud neutros merita præcessissent prædicationem vel gratiam; respondebant id factum propter *præscientiam* naturalis fidei et primæ voluntatis, quæ in his potius, quam illis futura erant. 3^o. Cum urgerentur exemplis *parvulorum*, quorum aliqui baptismo initiati, alii sine eo infantes decedunt, et sic discretionis causa non potuerit esse etiam naturalis meritorum diversitas futura; responderunt, consequenter errando, hunc baptizari, istum negligi, quia hujus merita naturalia, quæ habiturus fuisset, si ad maturam ætatem pervenisset, prævisa a Deo fuerint, istius non item. De singulis testantur SS. PROSPER n. 3. et HILARIUS n. 6. in ep. ad S. AUG.

Ad hunc errorem non pertinere sententiam plurimorum Theologorum, tum *gratuitam prædestinationem* negantium, tum asserentium *scientiam medium*, vel ex uno NATALI ALEX. colligi potest, cuius testimonium minus potest esse suspectum, quo magis ipse sua in opinione a gemina illa sententia recedit. Hic enim ubi postremum hunc errorem retulisset ad Secul. V. c. 3. art. 8. hæc monet: *Cavendum, ne recentioribus quibusdam Theologis, qui prædestinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum (nempe supernaturalium) a Deo fieri contendunt, et scientiam quamdam medium propugnant, semipelagiani erroris nota inuratur; quod imprudenter et temere novi quidam auctores fecerunt, vel semipelagianorum dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti. Magnum enim est discri men, quantum ad hoc utrumque dogma inter Semipelagianos ac illos Theologos. Nullam enim vero prædestinationem *gratuitam* Semipelagiani admittebant, nedum ad gloriam, sed nec ad gratiam: electionem scilicet ad gloriam merito operum (intellige, in naturalibus initii fundatorum) tribuebant, electionem ad gratiam merito fidei, h. e. naturalis. Theologi vero laudati prædestinationem ad gratiam omnino gratuitam profitentur: solam electionem ad gloriam intuitu meritorum (scilicet supernaturalium) fieri volunt.*

Post pauca in propriam opinionem addita pergit: *Quod spectat ad scientiam illam, quæ media nuncupatur, non in hoc fuerunt hæretici Semipelagiani, quod eam admiserint ac propugnarint; sed quod ex præscientia meritorum vel peccatorum, quæ nusquam essent futura, Deum hominum sortes definire assererent, et alios prædestinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam: idque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi Theologi longe sunt ab istius erroris flagitio. Quod enim propugnant scientiae mediae genus circa merita vel peccata sub conditione, quæ nusquam ponenda sit, futura, non ita versatur, ut Deus in prædestinationis et reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat.*

194. *Observa.* Theologi quidam periti in duas generatim classes Semipelagianos distribui posse putant. In laxiores, qui a Pelagii placitis minus declinantes asserebant non solum voluntatem credendi vel initium fidei, sed initium etiam bonorum opérum esse a nobis sine gratia: et in strictiores, qui a Pelagio longius distantes, solo sibi reservato initio fidei vel pio credulitatis affectu, cetera omnia gratia adscribent. Videtur tamen postrema classis fuisse communis *Semipelagianis omnibus*; cum omnes videantur asseruisse prævenientis interioris gratiae necessitatem ad quodvis opus bonum perficiendum, vel etiam incipiendum. Colligitur id ex S. AUG., qui

de Semipelagianorum opinionibus a PROSPERO et HILARIO plenissime instrutus, universim de Semipelagianis L. de prædest. Sanct. c. 1. id pronuntiat.

QUÆRES: *An Semipelagiani omnes gratia interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei constanter negaverint?*

195. Nota. Jansenius, dupli Semipelagianorum classe L. 7. de hæres. Pelag. c. 2. supposita, postmodum nempe L. 8. c. 6. scribit: *Itaque Massiliensium opinionibus et Augustini doctrina quam diligentissime ponderata, certum esse et indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram et internam et actualem gratiam ac ipsam etiam fidem, quam humanae voluntatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur. Et infra addit: In hoc ergo proprio Massiliensium error situs est, quod aliquid primeve libertatis reliquum putant; quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum; ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet: neuter tamen absque interioris gratiae adjutorio; cuius usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio ac potestate. Contra hunc*

196. R. I. Omnes Semipelagiani constanter negarunt ad initium fidei necessitatem gratiae interioris, h. e. illustrationis simul et inspirationis.

Prob. I. Ex ipsis SEMIPELAGIANIS. Vitalis Carthaginensis sententia liquet ex ep. 107. S. AUGUSTINI ad eumdem (al. 217. n. 1.) ubi S. Aug.: *Quomodo dicas, inquit, quod te audio dicere, ut credamus in Deum et Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse. S. Aug. errorem suum, quem antea cum Semipelagianis communem habebat, sic exponit L. de prædest. Sanct. c. 3. n. 7. Errabam putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis... Neque fidem putabam Dei gratia præveniri,... nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium et nobis ex nobis esse arbitrabar,*

Cassianus de fide Centurionis Evangelici sic Coll. 13. c. 14. loquitur: Non enim illam fidem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam, quam vocatus semel atque illuminatus a Domino, per arbitrii libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia. Similia refert c. 8. 11. 12. 13. Faustus autem L. 1. de lib. arb. c. 17.

Nec dicas 1^o. Cassianus Collat. 3. item Collat. 13. c. 3. fatetur dari hominibus a Deo inspirationem quamdam immissam in cor nostrum, et statuit, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. 2^o. Gennadius L. de Eccl. dogmat. c. 21. *Manet itaque, inquit, ad quærendam salutem arbitrii libertas..... sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut..... agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei.*

R. Ad 1^{um}. Præterquam quod Jansenius fateatur, Cassianum non admisso reipsa gratiam ad initium fidei; vel *inspiratio* a Cassiano sumitur pro sola *doctrina externa*, ut exempla de Abraham et B. Antonio ibidem allata persuadent: vel pro gratia tali, quæ aliquando immittitur a Deo, non autem semper, ut Collat. 3. c. 13. 14. et 19. explicat; unde propriam inspirationis gratiam ab eo intellectam non fuisse apparet. Quod alterum textum attinet,

constat ex eo, Cassianum subinde more Catholico locutum, sed inconstans fuisse, ut S. PROSP. in L. contra Collatorem expendens Collationem 13. ostendit, et hinc Cassianum exagit.

Ad 2^{um}. R. NAT. ALEXANDER probabilius existimat librum hunc a Gennadio ex heresi Semipelagiana resipidente fuisse scriptum, eo quod eundem GELASIO P. M., qui *Cassiani et Fausti* libros censura notaverat, transmittere non esset ausus: atque hinc verba allata in sensum Catholicum explicat. In cuius confirmationem accedit, librum hunc ab HADRIANO I. in ep. ad Carolum M. cum ipsis Gennadii elogio, quem Sanctum appellat, fuisse missum. Alii negant nomine inspirationis a Gennadio intellectam gratiam interiorem, cum ea dicatur *occasio salutis*, et verba *admonente Deo et invitante*, solum adjutorium in lege et doctrina positum sonent. Ubi vero dicitur nostrae potestatis, non autem divini munera esse, quod acquiescamus inspirationi, Semipelagianus error profertur.

Prob. II. Ex Semipelagianorum OPPUGNATORIBUS. **HILARIUS** in sua ad AUG. epist. n. 2. *Quod dicitur, inquit, credere et salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturae id voluntate creatoris concessum est.* Similia refert S. PROSP. in sua ad S. AUG. epistola, quae alias jam retulimus. S. AUGUST. etiam Semipelagianorum communem errorem confutatus L. de præd. Sanct. c. 2. n. 3. scribit: *Prius itaque fidem, qua christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere. Et postea n. 5. Attendant hic et verba ista perpendiculariter, qui putant ex nobis esse fideli captum, et ex Deo esse fideli supplementum.*

Nec dicas: Contrarium videntur illi ipsi insinuare. Nam 1^o. **HILARIUS** ibidem dicit: *Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, nedium perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* 2^o. S. PROSPER ibid. n. 5. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviā, humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas. 3^o. S. AUG. L. de prædest. Sanct. c. 1. n. 2. *Pervenerunt isti Fratres nostri..... ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur.*

R. N. Ass. *Ad 4^{um}. et 3^{um}.* R. Aliud juxta Semipelagianos fuisse initium fideli, aliud initium boni operis.

Ad 2^{um}. R. Doctrinam Semipelagianorum fuisse, quod aliud sit meritum, quo meremur gratiam, aliud, quo vitam æternam meremur. Primum dicebant fidem naturalem seu fidei initium supr. explicatum: secundum opera bona seu justitiae, quae et quorum operatricem voluntatem non negabant a Deo præveniri. Distinxerunt inter gratiam initiale, h. e. initium fidei, seu meritum naturale, et inter gratiam salvantem, h. e. gratiam operum bonorum, seu justitiae.

Unde constat, quare in loco nobis objecto Semipelagiani negent gratiam Dei esse præviā humanorum meritorum, et tamen non negent voluntates a gratia esse præventas. Non enim hic pugnantia loquuntur; quod si fecissent, S. PROSPER non omisisset vitium contradictionis objicere: sed præviā fidei initio gratiam negant, qua præveniri voluntatem in operis boni etiam initio affirmant. Constat præterea, quomodo gratiam etiam illis voluntatibus sub-

derent, quas ab ea secundum suam phantasiam non negabant præventas; dicebant enim internam gratiam, qua in Christo renascimur, et præveniunt opera justitiae, merito *naturalis fidei et initialis*, h. e. creationis, gratie ope acquiri, et secundum hunc erroneum ac hæreticum sensum subdebant gratiam veram nostris voluntatibus.

Prob. III. EX DAMNATIONIBUS Semipelagianismi. Conc. ARAUSICANUM II, damnans dogmata Semipelagianorum Can. 5. Apostolicis dogmatibus dicit adversari, qui *sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum non per gratiae donum, sed nobis naturaliter inesse dicit.* Similia sunt, quæ Can. 4. 6. 7. et 23. damnantur. His adde sententias BONIFACII II, illud Concilium confirmantis: denique quartam propositionem e quinque Jansenianis damnatam ceu *falsam et hæreticam*.

Nec dicas 1^o. Semipelagiani non solum negabant donum Dei esse initium fidei, sed etiam *finalem perseverantiam*: sed ad finalem perseverantiam non denegabant gratiæ indifferenter præmoventis necessitatem; ergo nec eam negabant ad initium fidei.

R. D. M. Eatenus etiam negabant finalem perseverantiam esse donum Dei, quatenus negabant prævenientem Dei gratiam interiorem dari ad perseverandum, sicut negabant hanc gratiam dari ad credendum N. quatenus voluntatem perseverandi negabant esse partum gratiæ, et volebant ita effectum esse naturæ, ut hæc voluntas etiam ipsam gratiam præveniret, utpote cuiuspiis conatus ac desideriis ista gratia a Deo tribueretur C.

Nec dicas 2^o. Idem, teste **HILARIO** ep. ad Aug. n. 7., moleste ferebant discri men traditum ab AUGUSTINO inter gratiam collatam Adæ, sine qua per liberum arbitrium perseverare non poterat, et gratiam nunc *prædestinatis* præparatam, qua perseverantia ipsa donatur; et in hoc solo volebant a primo homine distare omnium naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis et perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. Si ergo Semipelagiani non denegabant in Adam adjutorium sine quo ad omnia opera salutaria et volendum, neque illud negabant in hominibus lapsis ad fidem et credendum.

R. 1^o. Semipelagiani hoc discri men moleste ferebant ex non intellecta S. AUGUSTINI sententia. Putabant enim *perseverantiae donum*, quo nunc prædestinati perseverant, esse gratias actuales, sicut erant illæ Adamo datae, sine quibus perseverare non poterat; cum tamen S. Doctor *perseverantiae donum* constituerit in speciali Dei providentia et misericordia erga prædestinatos, qua eorum vitæ seriem inter tot pericula tentationum, et bonarum malarumque actionum vicissitudines ita moderatur et gubernat, ut non sinat eos finire hanc vitam, cum sunt impii, sed tunc rapiat, cum sunt pii, ut infra ex S. AUG. præsertim L. de prædest. Sanct. exponemus.

R. 2^o. Falsum esse, quod objectio supponit, Semipelagianos nempe admissee in Adamo gratiam actualem *prævenientem*, sine qua in bono, in quo creatus erat rectus, perseverare non poterat. Admirerunt quidem, Adamo datum fuisse gratiam actualem *adjvantem*, qua in fide et justitia permanere, vel ab ea deficere posset, si vellet; sed velle permanere in fide et justitia, poterat juxta ipsos Adam *incipere* solis naturæ viribus. Nos autem in hoc solo distare ab Adamo contendebant, quod *fidem* tantum, non autem

opera justitiae, viribus solius naturae incipere possemus; quod ipsum manifeste indicant verba HILARII objecta. Porro observandum, voluntatem aliam esse *operatricem*, quae boni initium et hinc bonum jam inchoatum est: aliam *preambulam tantum*, quae dispositio duntaxat ad bonum ac ejus desiderium est, non autem bonum nequidem inchoatum.

Nec dicas 3^o. pro Jansenii propositione damnata: 1. Primam ejus partem esse quæstionem *facti*, quæ proprie fidem non spectet: et hinc haereseos notam in eam non cadere. 2. Eam quidem jure damnatam, sed ideo, quia *indefinita* est, et de Semipelagianis omnibus loquitur; cum tamen aliqui gratiae interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, non admiserint. 3. Eamdem partem primam merito fuisse damnatam, quamvis Semipelagiani gratiam interiorem ad fidei initium admiserint, sed ex eo, quia gratiam proprie et vere prævenientem non admittebant; cum gratia ex sensu Semipelagianorum ad nutum voluntatis se accommodans ipsique serviens, voluntatem reipsa non præveniat.

R. Audiendus hic iterum videtur NAT. ALEXANDER loc. supr. cit. *Sed de isto Semipelagianæ haeresis capite in Dissertationibus uberior agam contra Jansenium, Franciscum Macedo Minorem, Gonetum nostrum et alios, qui nulla habita ratione Propositionis quartæ in Constitutione Innocentii X. damnatae, temere asserunt Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admisisse.* Et vero quanta temeritate id agant, patet ex his ipsis exceptionibus.

Ad 1^{um}. R. Imprimis nota *falsitatis* saltem in eam cadit; ergo qui primam partem veram putant, quam Rom. Pontifices et cum iis Ecclesia *falsam* declarant, et ut talem damnant, hos errare et cœcifire contendunt; quod factum a temeritate saltem excusari nequit. Deinde quæstio hæc, quid de initio fidei senserint Semipelagiani, sic est facti, ut jus involvat in damnata propositione. Si enim prima pars, quam facti vocant, quod scilicet *Semipelagiani admiserint prævenientis gratiae interioris necessitatem ad initium fidei*, vera sit; secunda, quæ juris est, per errorem a Pontificibus damnata est ut haeretica. Nam si quis admiserit primum, neque in eo constitutus eorum haeresin, sequitur, Semipelagianos in eo tantum *fuisse haereticos*, quod vellent eam *gratiam talem esse*, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; et Pontifices errasse in quæstione juris, hanc partem 2^{um} haeresos damnantes.

Ad 2^{um}. R. Et sensus Jansenii et sensus Pontificie Constitutionis huic exceptioni repugnat. *Primum* quidem; quia *Jansenius*, in cuius sensu damnata est propositio duas Semipelagianorum classes distingueens, de una earum solum asserit, ipsos prævenientis gratiae necessitatem ad fidei initium admisisse; ergo de iis, de quibus Jansenius asserit, negant Pontifices. *Secundum* vero; quia Pontifex secundam propositionis partem damnans declarat, nullos Semipelagianos *fuisse haereticos* in eo, quod gratiam vellent esse talem, cui posset resisti vel obtemperari; ergo sensus ejus quoad *primam* partem est, nullos Semipelagianos gratiae prævenientis necessitatem ad fidei initium admisisse; cum unum ex altero necessario sequi proxime dictum sit.

Ad 3^{um}. R. Vanitas exceptionis ex ipsa propositione damnata dilucescit. Cum enim Pontifex dicat, Semipelagianos non *fuisse haereticos*, quod vellent *talem esse gratiam*, cui voluntas posset obtemperare consensu et resistere

dissensu; hoc ipso patet, quod eos non damnaverit ut haereticos, quod non admiserint gratiam per se efficacem, quam quidam proprie et vere prævenientem nominant; ut ipse NAT. ALEXANDER, quantumvis gratiae *per se* efficacis patronus, in dissert. 4. Sec. V. respondet.

197. R. II. Theoph. Raynaudo, Petavio, aliquis non videtur negandum, a Semipelagianis ad fidei initium admissam esse *gratiam illustrationis*; idque ex variis textibus SS. PROSPERI et AUGUSTINI; sed ab aliis forsitan responderi potest, haec omnia probare duntaxat admissam a Semipelagianis gratiam illustrationis ad *opus bonum*: minime autem ad fidei initium; utpote inter quod et illud statutatur juxta dicta discrimen, et *fides a ratione boni operis* discernebatur.

ARTICULUS III.

QUINAM FUERINT AUCTORES, DEBELLATORES ET ERRORES RECENTIORUM SECTORUM CIRCA GRATIAM?

198. Nota. Joannes Wicleffus natione Anglus, vehementis ingenii et ambitionis homo, Ecclesiæ de Luttheworth in Lincolnensi Diœcesi Rector, ubi a præfectura Cantuariensis Collegii decendique Theologiam munere ob contrarium ipsi consuetudinem et jus erat rejectus, præterea etiam spe Wigorniensis Episcopatus exoderat, ad turbam Ecclesiam se convertit, sparsis sub an. 1375. erroribus variis dogmata de Deo, Christo, Sacramentis, Ecclesia, membris ejus ac ordinibus et libero arbitrio concorrentibus, quos Thomas Waldensis maxime ex libro ejus, *Triologus* inscripto, et aliunde collegit.

Concilia contra eupudem tum Romæ tum in Anglia, et GREGOR. XI. P. M. haeresin hanc in exordio statim opprimere laborarunt: tandem vero conferunt Synod. CONSTANTIENSIS Sess. 8. et MARTINUS V. edita Bulla. Damnatorum dogmatum similitudo et singulare studium, quod Lutherus in *Wicleffo et Joanne Huss* ejus discipulo defendendo tum alibi tum in thesibus Lipsiæ contra Eckium propositis impedit, fundamentum præbet, cur *Wicleffus* a pluribus sectarum recentiorum Patriarcha dicatur. Quoniam vero ejus errores quæstiones de gratia minus attingunt, eosdem etiam hic referre aut de illo uberior agere supersedemus.

199. Dico I. Sectarum, quæ a seculis aliquot prope innumeræ emerse sunt, auctores vel præformatores præcipui sunt Martinus Lutherus et Joannes Calvinus.

Lutherus natione Saxo, natus an. 1483. Islebii in Comitatu Mansfeldensi, Litteris humanioribus Magdeburgi et Isenaci, Philosophiæ studiis Erfordiæ absolutis et degustata per annum Jurisprudentia, inopino socii fulmine icti exterritus fato, Ordinem Erem. S. Augustini ibidem an. 1504. suscepit. Aliquot annis post, Wittenbergam studiorum causa missus, subin Romanum digressus, redux deinde ibidem in Academia, quam Dux Saxonie nuper erexerat, Theogiæ Doctor et Professor creatur.